

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos & Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

Capvt XII. Quid ? & quàm magnum, & quàm multiplex sit malum morbus?

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

116 Cap. XII. Quid sit morbus, & quam magnum malum? occidant. Quare etiam hac ipsa de causa minus malum est peste, quam hoste plecti. Enim uero longa experientia docuit, homines, tempore pestis, longè, quam in bellis, fieri meliores; dum, in communi omnium periculo, quisque sibi cauet, seque ad moriendum accingit, lue grassante; at in militia, ipsa viuendi licentia homines mortis immemores reddit; quos tamen maximè de vita non securos, & de morte sollicitos esse deceret. Mori plane timeat, ait S. Cyprianus, sed qui ex aqua & spiritu non renatus gehenna ignibus mancipatur: mori timeat, qui non Christi cruce & passione censetur: mori timeat, qui ad secundam mortem de hac morte transibit: mori timeat, quem de seculo recedentem perennibus paeniternis flammis torquerebunt: mori timeat, cui hoc mora longiore conferatur, ut cruciatus eius & gemitus interim differatur. Mortalitas ista ut Indis & gentibus, & Christi hostibus pestis est, ita Dei seruis salutaris excessus est. Quin & verè poenitentes, quia agnoscunt, se vita indignos, se libenter, tamquam victimam, morti offerunt. Qua de causa etiam David non elegit bellum, è quo euadere potuisset; non famem, quam quiuisset evitare; sed pestem, cui ipse obnoxius esset. Quin tum, quando vidit Angelum cædente populum, dixit ad Dominum. Ego sum, qui peccavi, ego inique egī: isti, qui oues sunt, quid fecerunt? Vertatur, obsecro, manus tua contra me, & contra domum patris mei. Hic est finis plagarum Domini, poenitentia nostra; ut reges ipsi Principesque luant, quod peccaverunt; non ut populum dumtaxat, pro se finant vel in bello mactari, vel in pace famere, vel in peste mori; vel soli soluant, quod debent; vel simul diluant, si simul peccauerunt.

^{2. Reg. 24. 17.}

I.

Multa sunt, quæ vitam humanam miseram faciunt, inundationes, incendia, deprædationes, sterilitates, persecutio[n]es, & mille clades; sed nihil ita propè sentimus, ut ea, quæ corpus affligunt, qualia sunt famæ, vulnera, membrorum truncationes, & morborum cruciatus.

Nam,

C A P V T XII.

Quid? & quam magnum? & quam multiplex sit malum morbus?

Nam, sicut in fidibus, ait Lactantius, cūm aliquid aut interceptum, ^{Lactant. lib.}
aut relaxatum est, omnis canendi ratio turbatur, & soluitur: ita si de opificio
incorpore pars aliqua membrorum duxerit vitium, destruxi vniuersa,
corruptisq; omnibus atq; turbatis, occidere sensum, eamq; mortem vo-
cari, necesse est. si enim totæ Res publicæ extinguuntur per mor-
bos populares pestesque, à quibus interdum tanta fit strages ho-
minum, vt vix vnaus, immò nullus etiam inueniatur in loco inco-
lumis, vel reliquus incola; quanto magis hominis vnius corpus
à morbis sternetur? Neque opus est male affici corpus vniuer-
sum: solum caput doleat, iam cuncta langueant cetera membra.
Immò capite sano, & vegetis membris reliquis omnibus, si vel
extremum pedem podagra mordeat, mox incipiet totus homo
claudicare, immò non sine lamentis decumbere. Quid ita? nem-
pe, vt Plotinus ait: *Morbus nobis molestus est, quia nihil in nobis ha-* ^{Plotin Ena-}
bet domesticum, sed est penitus alienus: propterea manifestior incidit; ^{5. lib. 8. c. 11.}
quia maximè diversus nobis occurrit. Qua verò nostra, nosq; ipsi sunt,
vel absq; manifesto sensu nobis insunt.

Socrates interrogatus, quid morbus esset? respondit: Per-
turbatio corporis. Apud Gellium, Cacilius Sabinus, in libro, quem
de editio adilium Curulium composuit, Labeonem refert, quid esset mor-
bus, hisce verbis definisse: *Morbus est habitus cuiusq; corporis contra* ^{Stob. serm.}
naturam, qui usum eius facit deteriorem. Sed morbum alias in toto ^{98.}
corpo accidere dicit, alias in parte corporis. totius corporis morbum
esse, veluti pthysis, aut febris; partis autem, veluti cacitas, aut pedis
debilitas. quemadmodum enim alij, qui rapiuntur solo pede, vel
manu ad catastam, in publico loco, ac libero aëre, alligantur; alij
autem omnibus membris vinciuntur, & manicis pedicisque, quin
& ferreo circulo lumbis colloque injectis vndique constricti, to-
to corpore in carceres compinguntur; ita nonnullis satis est una
parte male affici; alij autem ubique sentiunt debilitatem & do-
lorem, vt quasi arcta custodia circumdati videantur. Quod de
se dicebat Iob ad Dominum: Numquid mare ego sum, aut cetus, ^{Iob. 7. 12.}
quia circumdedisti me carcere? Quo carcere? toto cumulo mor-
borum. Numquam Iob tam tumidus erat, quam mare; numquam
ita fremebat, numquam ita astuabat ira, numquam ita impa-
tientia agebatur, aut remugiebat; neque ita immanis & saevus

II.

Gell. lib. 4.
Noct. Attic.
cap. 2.

Gen. 1. 9.

erat, ut ceterus; & tamen, sicut mare tunc, quando Mundi Crea-
tor dixit: *Congregentur aquae in locum unum, & appareat arida,*
& quando *aquarum congregacionem appellauit maria, visus est,*
conjecisse mare in carcerem, atque illi pedes & brachia constrin-
xisse, ne liberè vagaretur, & obvia quæque vastaret; ita Iobum
Deus, in tēterīnum malorum atque cruciatum carcerem,
velut mare fremens atque superbū, detruhit; &, ut ne alijs no-
ceret, in eum statim conjecit, dolorum vinculo manibus pedi-
busque ligatis, in quo nocentes & vltimo supplicio damnati de-
tinentur. Si enim carcer definitur, *vndecimq; exire prohibemur:*

Seruius lib. I.
& 5. Aeneid.

Psal. 35. 17.

Psal. 114. 3.

Iob. 13. 27.

Iean. 4. 9.

Luc. 13. 12. 16.

Vlpian. L.

Aut damnū.

8. §. solent.

D. de pœn.

recte morbi carceribus comparantur. Siquidem Deus nos in-
malorum, morbus in lectum coniicit. Enimvero dolores aliaque
symptomata, in diuinis litteris solent funes & vincula
nominari. *Circumdederunt me dolores* (D. Hieronymus legit *funes*) *mortis.* Et iterum: *dolores (funes) inferni circumdederunt*
me: præoccupauerunt me laquei mortis. Vnde & Iob queritur, se
morbis velut compedibus vincitum: *Posuisti in nerno pedem meum.*
Et S. Ioannes quoque de Probatica piscina, quasi de carcere &
domo vincitorum loquitur: *Qui prior descendisset in piscinam, sanus*
fiebat, à quacumq; detinebatur (quasi comprehensus & alligatus)
infirmitate. Immo Christus ipse mulieri, quæ habebat spiritum
infirmitatis annis decem & octo, & erat inclinata, nec omnino
poterat sursum aspicere, ait: *Mulier, dimissae (quasi è carcere*
& vinculis) ab infirmitate tua. Et rursus. *Hanc filiam Abrakas,*
quam alliganit (velut vinculis) satanas, non oportuit solvi à vinculo
isto? Erhi autem carcerem ad continendos homines, non ad puniendos
haberi jura decernunt; tamen morbi, & carceres sunt grauissimi,
& pœnæ sanè luculentæ. Quare nemo est, si sensum æstimes,
qui morbos non cupiat effugere, ijsque velut acerbissimis vincu-
lis liberari.

III.

Quemadmodum autem vel vna catena teneri est molestum,
ita multis vinculis circumdari longè molestissimum. Pari pacto
satis graue foret, si ab uno genere morborum humana natura in-
festaretur, nunc à tot oppugnari cateruis pestium, multò est gra-
uissimum. Nihil est in homine, quod non possit ægrotare. A ca-
pite usque ad calcem eum consideramus, & videbimus, verè dici:

et planta

A planta pedis usq; ad verticem, non est in eo sanitas. In capite ce- Isa. 1. 6.
phalalgia anteriores eius membranas cruciat; quod si dolor sit
diutinus & inueteratus agreque cedens, cephalæa vocatur; sin
autem sit dolor recurrens identidem ac statim temporibus, alte-
ramque dumtaxat partem inuadat, hemicrania est. Cerebrum
velut vertigo, grauat è vino crapula, alienat à mente insania;
versas è bile aut calida expiratione, in febrium vigore, delirium,
& inflammatæ phrenitis; itemque amens furor, fugat lycanthro-
pia; ligat obliuio & lethargus seu veteris, & inexpugnabilis propè
dormiendi necessitas; præcipitat caducus, seu comitialis, & sacer
morbus, quem Herculeum & santicum nominant. Summum
in homine alopecia deuenustat, seu capillorum defluvium, alope-
cia dictum, quia illud malum vulpi est peculiare; vel quia, ut
Callimachi scholiares annotat, vulpis lotium effeta dicitur in
annum reddere loca aspersa. Miser aspectus est ophiasis, seu areæ,
è qua capillitium defluxit.

Quod solum capit is decus est, cecidere capilli.

Sin autem crines alantur, & in siluam sinantur excrescere,
pedicularis morbus, seu, phthiriasis comatos inuadit; ut habeant,
vnde effodianter. Aurum tinnitus, grauitas, surditas, vermicu-
latio accusatur; sicut & oculorum suggillatio, seu sanguinis in-
tra tunicas collectio, suffusioque, quæ alia est à Scotomate, in quo
nubeculæ, muscae, atque alia id genus oculis obuersantur, cuius
sedes est in cerebro & conturbatis spiritibus. Infestat & oculos
delachrymatio, qualis fuit Horatio, glaucoma, lippitudo, qua la-
borabat Lia; denique ipsa cæcitas, quam deplorauit Tobias. Quin
è palpebrarum margine tuberculum erumpit hordeolum dictū,
ac permolestum; aut grando superiori fermè palpebræ innascens. Gen: 29 17.
Naribus insidet polypus, seu caro excrescens; itemque ozæna, quæ
est putridum ulcus in naribus cum graueolente muco in crustu-
lam coacto. Inde etiam scaturit profluuum croris. Genas &
faciem totam lentigo, seu macula subruffa, aut pulla incessit. Ni-
hil dicam de bucconibus, labeonibus, seu chilonibus & labrosis,
nihil de mentonibus, nihil de broncis, qui dentes habent promi-
nulos, & inde os productum: vitia isthæc sunt, non morbi, & ad
formam spectant, non ad valetudinem. Dentes verò ipsos, quis
nescit

Tob. 5. 10.

120 Cap. XII. Quid sit morbus, & quām magnum malum?
nescit magnorum dolorum esse caussam? Et tamen, et si vel vi-
euellantur, vel sponte excidant, quantam in edentulis pariunt,
absentia sua, edendi difficultatem? quod senes experti nōrunt
testari. Ita siue amittantur, siue habeantur, immo & si acqui-
rantur, caussa sunt dolorum. Nam infantes, cūm dentiunt, ab
ipso illo pruritus gingivuarum, & prima dentium eruptione malè
afficiantur, & odontalgia, siue dēcibus laborant antē, quām den-
tes habeant. Ut taceam de dentium stupore. De balbis, blæsis,
Ancyloglostis, immo omnino mutis & elinguibus nihil dicam:
vitia itidem sunt, non morbi, tamen mala quādam sunt. Et verò
saltem morbus linguae est, si inflammetur, siccetur, duretur. Iam
fauces angita non secus quām laqueus præfocans enecat, inhi-
betque inflammatione spiritum, quem, dum continet, respiratio-
nem impedit. Quod & tonsillæ, seu durus faucium tumor effi-
cit; nec non & catarrhus, cūm ad os & fauces è capite humor
destillat; vnde, quando in asperam arteriam decumbit humorū
fluxus, raucitas oritur, & difficultas spirandi. Quin & tussis,
quemadmodum & grauedo, seu defluxus nares obruens, vocem
obtundens, tussim cum sonitu aurium mouet. Hæc gutturi
interiùs sunt infesta. Collo exterius nocet, si sit obſtipum, ri-
geatque, & in alterum humerum caput reclive relinquat; nec
magnum illi decus addit struma, instar crumenæ dependula, &
glandulis duris, velut nummis plena. Manus quoque sua ligan-
tut chiragra, digitos arthritis, seu morbus articularis tumore
dolorifico obſidet, qui si in genua defluat, gonagra, si in pedes
podagra appellatur. Vngues digitorum reduuia, seu cutis circa
radices vnguium resolutio atque fissura labefactat. Taceo gibbos
dorso impositos. Taceo mancos, mutilos, contractos. Ad inte-
riora venio, ibi cordolium, ibi pulmonum corruptiones, & ta-
bem, ibi asthma, & susprium, seu vehementiorē spirandi difficul-
tatem; ibi orthopœam, item sanguinis refectionem; ibi pleu-
ritim acutè pungentem, & telum gladij instar transuerberans;
ibi macilentam atrophiam, ibi cachexiam, cardialgiā, stomati-
chiique roſionem, nauseam, & inane vomendi desiderium, item
singultus, ructus, vomitus; ibi picam, bulimum, appetitum cani-
num; ibi diarrhoeas in intestinis, verminationes, tormina; ibi vol-
uulum,

uulum, seu ileum, seu iliacam passionem, colicum dolorem; lienteriam, hepatis incēdiā, lumbaginem; nephritim in renibus; stranguoram, dysuriam, ischuriā, in vesica; ibi rupturas, calculos, hydropem, diabetem, hæmorrhoides, & mille hypochondrias, unde ater vapor exiliens mentem petit; ibi sexcenta alia mala inuenio sedem habere. Quin & quæ totum hominem sternunt, enumerantur species, paralysis, apoplexia, torpor, spasmus seu neruorum distensio, gangræna; quia & quartana, tertiana, quotidiana seu diaria, continua, & omnis generis febres, in misera carne nostra stabulantur. Quād etiam foris deformat tremor, ictericus seu regius morbus & aurigo; item lentigo, impetigo, psora, scabies, scalpurigo, elephantiasis, vitiligo, papulae; & quid non? Plerique enim interim morbi colorem extēnum mutant. Sed ne pedes nihil nisi fatigationem habere videantur, illos nō solū podagra vrit, sed etiam erysipelas seu sacer ignis depascitur. Ac ne in imo desit, quod cruciet, pernio morbus est, qui pedis præcipue calcem nimio frigore infestat. Talis est homo, qui superbit: à planta pedis, usque ad verticem non est in eo sanitas.

Ila. I. 6.

Perstrinxī, non enumeraui omnes morborum classes, tot sunt; ut numerum superent. Et cum tempore semper noui, & noui erumpunt. Galeni do verba. Sed numeriam plura dicam, quo stupidos istos inducam, ut si nihil aliud. illud saltē intelligant, non posse quemquam nec inuenire, nec demonstratione asserere morborum numerum, qui non ex yis, quæ particulis insunt, cum quæ caussa actiū sint, tum, quæ temere accidunt nōrit. Clariū Antistes Hippo-nensis: Iam verò, inquit, de ipso corpore tot existunt morborum mala, ut nec libris medicorum cuncta comprehensa sint. In quorum pluribus ac panè omnibus etiam ipsa adiumenta & medicamenta tormenta sunt, ut homines à pœnarum exitio, pœnali eruantur auxilio. Alio loco ostendit, omnem hanc vitam esse nihil, nisi continuum morbum. Epula enīs, ait, terra huius medicamenta quotidiana sunt, agritudini cuidam nostra, cum qua nascimur, necessaria sunt. Agritudinem istam sentit quisque, cùm hora reficiendi transferit. Vis videre, quanta agritudo sit ista, ut tamquam acuta febris septem diebus necet? Ne te sanum putes. Sanitas immortalitas erit: nam hac longa agritudo est: quia quotidianis medicamentis fulcis morbum tunm-

S. Augustin,
lib. 22. de
ciuit. cap. 22.S. Augustin,
temp. 74. de

Sanus

Q

122 Cap. XII. Quid sit morbus, & quām magnum malum?

Sanus tibi esse videris? Detrahe medicamenta, & vide, quid potes. Nam ex quo nascimur, necesse est, ut moriamur. Morbus hic necesse est, ut ad mortem perducat. Certè medici, quando agros inspiciunt, hoc dicunt, verbi gratia, *Hydropicus est iste, moritur.* Hic morbus non potest eurari. *Elephantius est,* nec morbus iste curari potest. *Phthisicus est,* quis hoc curat? Necesse est, ut pereat, necesse est, ut moriatur. Ecce iam dixit medicus, *Phthisicus est, non potest, nisi moriatur.* Et tamen aliquando & *hydropicus* non inde moritur, & *elephantius* non inde moritur, & *phthisicus* non inde moritur, & tamen necesse est, ut quisquis natus fuerit, inde moriatur. Moritur, inde non potest aliter. Hoe & medicus, & imperitus prouenient; sed cestardius moritur, num quid idè non moritur?

V.

Rom. 7:24.

Exod. 30:17.

Hugo de S.
Victor. lib de
spir. & anim.
cap. 62.

Innumeris igitur sunt corporis morbi; immò si famem morbis apponamus, contiouit sunt morbi, qui non raro ad tantam acerbitatem accidunt, ut non solum ad mortem certam ducant, sed etiam ut mors ipsa tolerabilius, immò optabilius mortalibus videatur. Posset ex his fortasse etiam Paulus videri fuisse, quia dixit: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Quippe Hebreis mors, per metonymiam & catachresin sèpe morbum, pestem, luem, & afflictionem quamlibet grauem significat. Vnde eo sensu Pharao quandam dicebat: *Rogate Domum, ut auferat à me mortens istam: mortem, id est, plagam locustarum depascentium herbas & gramina.* Et alibi legimus: *mors, id est, amaricies colocynthidarum, in olla est.* Itaque Paulus corpus mortis accipit, pro corpore multis morbis, & ærumnis obnoxio, ex quo, ardenti desiderio, cupit ad cælestem vitam & Christum suum euolare. Quamquam si mentem illius penitus inspiciamus, non tam ille corporis dolores fugit, quām alia, quæ ex ijs nascuntur impedimenta, ne cum Christo suo ita esset, sicut esse concupiscebatur. Audi, ô anima, ait Hugo Victorinus, qualis sis, onerata es peccatis, irretita vitijs, capta illecebris, affixa roembris, confixa curis, distenta negotijs, contracta timoribus, afflicta doloribus, erroribus vaga, suspicationibus inquieta, solitudinibus inquieta, aduenia in terra inimicorum, coquinata cum morbis, deputata cum ijs, qui in inferno sunt. Hinc quis non vellet liberari? Hinc Pauli, & animæ Iponsum suum Christum amantis votum est, ut idem au-

thof

thor ait: Quando veniam, & apparebo ante faciem Domini, ad vindicandum eum in bonitate electorum suorum, ad latandum in latitia gentis sue, ut laudetur cum hereditate sua? Quando video ciuitatem illam, de qua dictum est, Platea tua Ierusalem sternentur auro mundo, & in te cantabitur canticum latitia, & per omnes vias tuos ab universis dicetur Alleluia? O ciuitas sancta, ciuitas speciosa, de longinquo resaluto, ad te clamo, te requiro; desidero enim videre te, & requiescere in te: sed non sinor carne retentus. O ciuitas desiderabilis, muri tui lapides unius, custos tuus ipse Deus, cives tui semper lati, semper enim gravulani in visione Dei. Haec sunt, quae trahebant Apostolum, ut exclamaret: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Rom. 7: 24. Quamvis & corpus mortis huius, plenum tot afflictionibus, simul addebat, ut ad felicem illam habitationem anhelaret. Quam ob causam etiam David gemebundus dicebat: Heu mihi, Psal. 119. 5. quia incolatus mens prolongatus est! Quid isti non facerent spe veniam ad beatas sedes; cum alij ob solos morborum dolores, mori malint, quām diutiū ægrotare, sibique violentas manus inferant? Nec enim sine causa monet sapiens: Fili, in infirmitate Ecel. 38. 9. ne despicias te ipsum; & Hippocrates in suis præceptionibus jubet, ut medicus curet, ne ægrotus mente turbetur, cum plurimi propter doloris excessum desperantes, se ipsos vita exuant. E nos ipsi vidimus, qui in dentium cruciatu, ex impatientia, parieti caput illiderent, & animam ipsam mallent elidere, quām tam enormes amplius dolores sustinere. Quamquam ita stupidi sumus, ut etiam extra morbum non videamus, quām multa nos incomoda exigitent, quām male nobis conueniat hoc corpus: nunc de capite, nunc de ventre, aut de pectore, aut de faucibus querimur. Alias nerui nos, alias pedes vexant: nunc dejectio, nunc destillatio; aliquando supereft, aliquando deest sanguis; hinc atque illinc tentamur, & expellimur: ait Sapiens mundi.

